



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi Opusculum Asceticum Posthumum

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1643

48. De Deo vt est gloria nostra.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46564](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46564)

CONSIDERATIO XLVIII.
De Deo ut est gloria nostra.

Gloria nostra dicitur Deus, tum effectiue, tum obiectiue. *Effectiue* quidem, tum quia est causa omnium bonorum nostrorum, de quibus in hac vita aliquo modo gloriari possumus: tum quia est causa gloriæ illius sublimissimæ & æternæ futuri seculi, & omnium donorum, ex quibus illa tanquam splendor emicabit. *Obiectiue*, quia ipse est obiectum, mensura & fons omnis gloriæ, & beatissimi illius status, in quo omnes beati ipsum videndo, amando, gustando, seu fruendo, deificabuntur, & deiformes efficiuntur instar diuinitatis fulgentes. Tantum enim bonum est Diuinitas, ut ipsam videre, amare, & gustare, sit summa & æterna gloria.

Christus

Christus etiam dicitur gloria nostra meritorie; quia omnis gloria nostra in ipsius meritis tanquam in causa fecundissima continetur, & ex illis in nos promanat. Potest etiam ipse dici gloria nostra quasi formaliter; quatenus est caput nostrum, & nos eius membra: sicut beata Virgo dicitur gloria caelestis Ierusalem; & Iudith gloria Ierusalem terrestris.

CONSIDERATIO XLIX.

*De Deo ut est Pater futuri
seculi. Isaia 9.*

Hoc nomē conuenit Christo duplici ratione, secundum humanitatem, & secundum diuinitatem: & quatenus secundum diuinitatem ei tribuitur, conuenit etiam toti Trinitati. Dicitur itaque Pater futuri seculi.

Nij

1. Quia